

comperitum fuit, reus in Martis villa peractus ad Minoem confugit. Mentionem quoque facit huius iudicii Hellanicus in fragmento apud Scholiastem Euripidis in Orestem: Μετὰ τὴν Δαίδαλον δίκην, ἀδελφιδῶν Τανταλον αποκτείναντες, δοχόεντι θανάτω. Post Dædali iudicium, qui sororis filium Tantalum, dolo circumventum occiderat. Corrupta hæc verba emendat Meursius in peculiari libro de Areopago p. 91. ubi pro τὸν Τάνταλον ponit τὸν Τάλων. Per eandem occasionem corrigit Pausaniam, qui iudicium etsi præterit, tamen historiam cædis narrat in Atticis s. lib. I. p. m. 37. Ἴόντων δὲ Ἀθηνησιν ἐς τὴν ἀκρόπολιν ἀπὸ τῆς θεάτρης τέθραπται Κάλως. Τῆτον τὸν Κάλων ἀδελφῆς παῖδα ὄντα καὶ τῆς γέχνης μαθητὴν φονεύσας Δαίδαλον, ἐς Κρήτην ἔφυγε. In ea via que à theatro in arcem ducit Calus sepultus est, quem sororis filium & discipulum, cum Dædalus interfecisset, in Cretam aufugit. In quo loco verba τέθραπται Κάλως ita legenda putat Meursius τέθραπται Τάλως & pro Κάλων legit Τάλων. Idem tamen Pausanias in Achaicis s. lib. 7. p. m. 403. utriusque videtur mentionem injicere: ἀποκτείνας μὲν ἀδελφῆς παῖδα, καὶ Ἰπσιμύδου τὰ οἴκοι νόμιμα ἐκασίως πρὸς Μίνω ἔφυγεν ἐς Κρήτην. Is enim cum occiso sororis filio, quam patriis legibus noxam meruisset, probe posset, ultro in Cretam ad Minoem confugit. Qui quidem locus ut & Apollodori, ex Diodoro ita illustrari debent, quod Dædalus non immediatè in Cretam abierit, sed postquam ad tempus in curia quadam Attica commoratus fuerat; quam Jo. Meursius in lib. de pop. Attic. p. 26. sub voce Δαίδαλίδαι Cecropidis tribum facit ex Stephano. Addit quoque ex Scholiaste Sophoclis Oed. Col. Μητινῶ δὲ τῷ Ἐρεχθέως ἔστι φινὸν γίγνεται Δαίδαλον, ἀφ' ἧς ὁ δῆμος καλεῖται Δαίδαλίδαι Ἀθηνησιν.

§. 7. Relictis illis, quos Dædalidas vocavimus, in Cretam elapsus. Ubi cum in magna propter artis gloriam admiratione esset, in Regis quoque Minois, Reginae & filiarum amicitiam venit. A Regina, ut fraudis architectus, adhibitus fuit.